

28
THESES INAUGURALES MEDICÆ
DE
APPETITIONE CIBORUM

QUAS
ADNUENTE DIVINO NUMINE
EX AUCTORITATE ET DECRETO
EXCELLENTISSIMÆ ET EXPERIENTISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN ARTE SALUTIFERA HONORIBUS
RITE LEGITIMEQUE CAPESSENDIS
SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTET

JOHANNES HENRICUS KOHL

GLADBACO - JULIACENSIS

DIE NOVEMBRIS MDCCLXXVII.

H. L. Q. S.



DUISBURGI AD RHENUM

TYPIS FR. AD. BENTHON, ACAD. TYPOG. VIDUÆ.

THESE IMPRINTS REVERSE
OF THE
APPETITIONE CIRCUITUM

ADHUC IN
RE AGROGATE ET DEBITO
EXPERIMENTA ET REPERITUR
FACULTATE MEDICAE
PRO GRADU DOCTORIS
LAPIDARIUM
DE
DIPLOMA AD MATHUM
THE FR. AD. SEMINUM AND FROE VAP

CELSISSIMO AC SERENISSIMO PRINCIPI
A C D O M I N O
DOMINO GEORGIO GUILIELMO
HASSIÆ LANDGRAVIO

PRINCIPI HERSFELDÆ, GOMITI CATTIMELIBOCI, DECIE, ZIEGEN-
HEINII, NIDDE, HANOVIAE, SCHAUMBURGHII, ISENBURGI
ET BUDINGÆ

PRINCIPI AC DOMINO SUO LONGE CLEMENTISSIMO,

CELSISSIMÆ ET SERENISSIMÆ PRINCIPI
A C D O M I N Æ
DOMINÆ MARIÆ LOUISÆ
ALBERTINÆ,
LANDGRAVIÆ HASSIACÆ

PRINCIPISSÆ IN HERSFELD, COMITISSÆ IN CATTIMELIBOCO, DECIA,
ZIEGENHAYN, NIDDA, HANOVIA, SCHAUMBÜRGO, ISENBURGO ET BU-
DINGA, NATÆ COMITISSÆ LEININGÆ ET DACHSBURGI DOMINÆ
IN ASPERIMONTIO, OBERSTEINIO, BROICH, BURGEL
ET REIPOLSKIRCHEN

PRINCIPI AC DOMINÆ SUÆ LONGE CLEMENTISSIMÆ

*Demissa mente, animo devotissimo, summam quæ in his ter-
ris haberi potest felicitatem, totiusque celsissimæ domus peren-
nem salutem apprecans, humillime has theses offert*

*Mulheimii ad Ruram
prid Calend Nov. 1777.*

*subditus & servus humillimus
J. H. KOHL.*

CELESTISSIMO AC SERENISSIMO PRINCIPALI
A C D O M I N O
DOMINO GEORGIO GUILIELMO
HASSIAE LANDGRAVIO

PRINCIPALIS IN HESSE, COMITIS IN CATINIBURG, TESS
SACRAE MAJESTATIS ELECTORIS PALATINI, RHEINPA
ET RUDINGIAE

PRINCIPALI AC DOMINO SUE TIBERIS ELEMENTISSIMO

CELESTISSIME ET SERENISSIME PRINCIPALI

A C D O M I N O
DOMINE MARIE LOUISE
ALBERTINE
LANDGRAVIAE HASSIAE

PRINCIPIS IN HESSE, COMITIS IN CATINIBURG, TESS
SACRAE MAJESTATIS ELECTORIS PALATINI, RHEINPA
ET RUDINGIAE

PRINCIPALI AC DOMINE SUE TIBERIS ELEMENTISSIMA

Prinzipalissimum ac serenissimum principalem
in hessia, comitem in catiniburg, tessa
sacrae maiestatis electoris palatini, rheinpa
et rudingiae

Prinzipalissimum ac serenissimum principalem
in hessia, comitem in catiniburg, tessa
sacrae maiestatis electoris palatini, rheinpa
et rudingiae

Prinzipalissimum ac serenissimum principalem
in hessia, comitem in catiniburg, tessa
sacrae maiestatis electoris palatini, rheinpa
et rudingiae



THESES INAUGURALES MEDICÆ
DE
APPETITIONE CIBORUM.



I.

Ille sensus internus, quo mens humana sui proprii corporis vitalitatem & condiciones, varias tam naturales quam præternaturales intelligit, vocatur *sensus vitalis*. Qui a quinque externis

dictis sensibus, quibus extraneorum corporum præsentiam & qualitates distinguimus, omnino diversissimus est.

A

II.

II.

Per *sensum vitalem* intelligimus permulta, scilicet hoc corpus esse nostrum, illud cum animo nostro in commercio esse, ab illo regi & affici, nobis bene & nos sanos esse vel sic dicta eucharistia gaudere, nostrum corpus male se habere, calere, frigere, lassum vel forte & alacre esse, dolere, prurire, angui, a pondere excrementorum obrui, esurire, sitire, & quæ sunt plures & fere innumerales ejus *vitalis sensationis* modificationes, quibus humana mens de necessitatibus sui corporis admonetur.

III.

Appetitus ciborum est una ex his modificationibus sensus vitalis quo animus admonetur de necessitate capiendorum ciborum ad vitæ prorogationem requisitorum. De cujus appetitus existentia & usu nunc non disputabo quia quilibet homo eum experitur, & ejus utilitas ex continua consumptione humorum in nobis fiente facile explicatur. De sola natura hujus appetitionis paucas daturus theses.

IV.

Appetitus ciborum varia quidem est, nam vel fluida

fluida & humida assumere desideramus, id quod *Sitis* nomine venit, de qua utpote explicatu difficili-
liori, mihi nullus hic sermo erit; vel cibos solidio-
res, aut certe non simpliciter humidos cupimus, id
quod harum thesium erit objectum.

V.

Appetitus igitur ciborum solidiorum, ut recte
intelligatur, in diversos gradus, vel si mavis, in di-
versas species est distinguendus, scilicet in *appetitum*
stricte dictum, in *famem*, in *esuriam*, & in *sensum*
inediæ. Horum enim singulorum ut diversæ cau-
sæ, ita inprimis diversæ sunt in corpore humano
sedes.

VI.

I. *Appetitus stricte dictus* est sensatio folius oris
& linguæ, quæ sapissime adest quando nec fames
nec esuries, nec inedia nos urgent, etsi cum his
omnino appetitus conjunctus, atque ea ipsa conjun-
ctione fortior esse solet. Appetitus igitur stricte
dictus, quem græci *Orexin* vocant, est sensatio quæ-
dam, qua hominis animus stimulatur ad experien-
dam gratiam & delectationem *saporis ciborum*.

VII.

VII.

Cuivis enim notum est in gustatione saporum gratorumque ciborum nos valde delectari, saporumque amenitate tam infantes quam adultos mire capi, ad eamque voluptatem a natura nos ferri, adeo ut etiam inter sapientiae & beatæ vitæ regulas pertineat ut reliquis voluptatibus corporis, ita etiam voluptati gustationis frenum injicere, neque ei amplius, quam ad vitæ conservationem necesse est, indulgere. Namque ut omnium voluptatum nimia appetitio, ita etiam stimulantis gustationis perpetuum desiderium nobiliores animi nostri vires magnopere debilitare solet.

VIII.

Quæ cupiditas sapos cibos manducandi nonnunquam eo usque increfcit, ut ad statum varium morbosum declinet, corporisque non modicam noxam inducat. Sic *ἀδυσία* Græci appellant illam ægritudinem qua homo insatiabile mandendi desiderium habet sine necessitate, cui morbo, ut pluribus aliis, olim apud Siculos templum tanquam Deo cuidam averrunco conditum fuisse legitur. Sunt enim adhuc hodie homines, qui ad suctum tabaci,

ad

ad bibendum vinum & spirituosas liquorationes, ad edenda sacchara & dulcia, ad sorbillandum potum coffee & similes, & apud Orientales populos ad sumendum Succum Maslac & Banque tam improbus stimulus inest, ut sanitatem propterea perdant, quia & illi qui per plures horas uni prandio aut cenæ mandendi causa insident, ab eo morbo non satis immunes dici queunt.

Pejor affectus est ille quem *Κεκαυ* Græci, *picam* latini vocant, si quis talia quæ manifeste noxia sunt, ut calcem, carbones, chartam papyraceam, aut talia quorum compotes fieri nequeant summa cupiditate anhelat, ut stulto saporis excitando satisfaciat.

IX.

Appetitus hic stricte dictus, qui solius oris sensatio est, nonnunquam imminui quoque aut aboleri potest, etiamsi fames & esuries de capiendo cibo admoneant. Id quod non modo febricitantibus sæpissime, verum etiam sanis aliquando hominibus contingit, quibus adeo imminutus aut depravatus est sensus saporis, ut quidquid degustent illis inspidum, aut amarum aut nauseosum videatur, etiamsi famelicos se esse sciant & fateantur.

X.

X.

Si autem homo bene valet, nec per morbum, neque etiam per malam consuetudinem sibi facultatem de necessitatibus corporis sui recte iudicandi destruxit, in eo appetitus oris est index primarius & saluberrimus eorum quibus ad nutritionem corpus eget. Nam qui cibo opus habet, is etiam eum blande appetit, & ejus assumptione amœniter delectatur, imo distinguere per saporem potest quæ ei convenient quæ minus, ut etiam medici, quo internam humorum dispositionem indagare queant, interrogant suos ægros quibus cibis delectentur, quos ament, quos aversentur, & plerumque observant, ea alimenta quæ ori sunt grata, profutura, ea quæ adversa sunt, nocitura fore. At vero hæc ut jam dixi, in illis tantum obtinent, quibus sensatio appetitus in ore non est perversa aut abolita.

XI.

II. *Fames*, alter gradus appetitionis ciborum, non in ore, sed manifeste in ventriculo habet sedem. Hanc græci *λοιμον* vocant, & est modificatio sensationis vitalis, qua homo vacuitatem in ven-

A 2

tricu-

triculo & in intestinis tenuibus, necessitatemque senti-
tit assumendi cibos & novum parandi chylum.

XII.

Famem in ventriculo & intestinis tenuibus senti-
turi quilibet ad se attentus facile distinguit, est enim
sensatio in epigastrica imprimis & in umbilicali re-
gione, quæ etsi molestiæ quid habeat, tamen non
ingrata est, signum enim homini facit se quoad di-
gestionem & primam concoctionem esse sanum. Si
enim eousque increfcit ut plane molesta & doloro-
sa & anxia evadat, tum jam ad tertium gradum
referri debet. Solet fames etiam aliis symptomati-
bus, sedem ejus manifestantibus stipari, videlicet
Borborigmis, spasticis hypochondriorum motibus,
defectu transpirationis externæ, siquidem eo tem-
pore materia transpirabilis vertitur ad intestina eo-
rumque mado remauget. Ceterum in homine sano
famem ut plurimum appetitus etiam stricte dictus
oris & linguæ committatur, cum ea tamen differentia
ut homo famelicus de ipso sapore minus sollicitus sit,
sed cibos obvios & cito parabiles, modo ne sint
nauseosi, anquirat, ut etiam in proverbium abierit
optimum ciborum condimentum esse famem. Neque

tamen

tamen inseparabilis a fame est appetitus, quippe homines sunt, quibus latrat venter & desiderat cibum et si omni gratia saporis, & omni appetentia linguae sint destituti, qui igitur non ex voluptate sed quia credant aliter se non vivere posse, ideoque coacti edunt.

XIII.

Etiam in eo fames ab oris appetitu differt, quod, quamprimum venter expletus est, fami succedat *satietas*, quae in statu naturali est sensatio grata qua monetur animus jam satis datum esse corpori suo, nec pluri cibo nunc esse opus. Quare si quis famus homo & suae spontis ultra satietatem comedit, sequitur *fastidium*, id est sensus ingratus ventriculi cum resistentia ejus, quo acius monemur, ne protracta ingurgitatione ventrem laedamus. *Satietas* igitur comparari potest cum sensu *fessitudinis levioris* quem post labores toleratos habemus in artubus, & signat vires ad ulterius laborandum consumptas esse, & imperari quietem, & necessariam esse somni recreationem. *Fastidium* vero simile est ingrato illi sensui quem patitur homo qui laboribus fatigatus & viribus exhaustus tamen ulterius labore cogitur. Quare non inepte dixeris satietatem esse speciem

ciem *Somnolentiae* primarum viarum, quin permulci homines, quam primum saturi sunt, etiam totius corporis somnolentiam experiuntur. Et in ea re manifesta est differentia inter appetitum oris & famem, quia si jam satur est venter, tamen appetitus oris adhuc vigere potest, quod cum damno experiuntur qui lautis epulis excepti, & gratia variantium saporum ciborum decepti plusquam par est assumunt, & nocenti se pondere gravant.

XIV.

Quamobrem fames etiam suos morbos peculiare habet, a morbis appetitus supra recensitis differentes. Nam aliquando fames ita imminuitur imo deletur, ut salvo appetitu tamen comedere nequeant, quæ ægritudo gradu leviori vocatur *fastidium* quatenus hoc non ex satietate sed ex causis internis præternaturalibus oritur. Gradu autem majori & si nimis diu fastidium protrahitur, in *apofitiam*, id est plenariam & diuturnam a cibis abstinenciam transit. Quale fastidium non modo in plerisque febribus, sed etiam in chronicis, præsertim hepaticis morbis, & in hydropibus observatur, ut frequens sit querela hominum, se appetere cibos, se cupere escam, a cujus tamen modica quantitate capta statim saturos se sentire, ut ab esu sit abstinendum.

Oppositus morbus est *voracitas* vel *fames canina* dicta, ubi homo cibis vix saturari potest, propter celerissimam digestionem, quæ vel cum vel sine copiosis evacuationibus manifestis, per tenuem transpirationem sæpe solam, cibos sumtos festinanter diffat. Quæ mira voracitas comes imprimis illius morbi quem *motus spasmodicos vagos* die *Kriebel Kranckheit*, vocant, quique caritatis annonæ tempore grassari solet, observata est, atque etiam alias quandoque ægritudines comitari solvit.

XV.

III. Tertius gradus appetitionis ciborum est *esuries*, quæ a fame ideo differt, quod neque in ore solo, nec in ventriculo & intestinis solis, sed in toto fere ventre sedem habeat. *Esuries* scilicet est sensatio molestissima, dolorosa, inquieta & anxiosa, cum magna inquietudine animi, cum motibus corporis voluntariis perpetuis, nonnunquam cum spasticis motibus musculorum abdominis, cum cordis palpitationibus & aliis sæpe variis motibus præternaturalibus conjuncta. Qui sanus diu jejünare coactus fuit, is postquam blandus & moderatus famis gradus transit, hanc speciem inquietudinis in se observare solet.

XVI.

Neque tamen a solo jejunio nimis protracto hæc *esuries* oritur, verum etiam a causis aliquando internis morboſis producitur, & tunc a medicis nunquam eſt vilipendenda. Infantes qui varioloſum venenum ſuſceperunt, per quatuor aut plures aliquando dies, antequam varioloſa febris accenditur, talem in toto corpore inquietudinem ſentiunt, ut non modo cibos immoderate deſiderent, ſed ejulando etiam, plorando, diſcurrendo, petulantes actiones inſtituendo, immorigeros ſe præbendo, parentibus moleſti ſint & caſtigations ſæpe ſubeant, quaſi ex protervia animi ſe ita male gererent, quum tamen cauſa ſtimuli præternaturalis in corpore ipſo hæreat, nec ſibi poſſint temperare volentes etiam ſic affecti pueruli. Neque rarum eſt in adultis, ſi quando febris certiana aut alius gravis acutus morbus ex internis cauſis imminet, ut talem inquietudinem in corpore ſentiant, quam falſo pro eſurie habent, putantque crebris inguritationibus ciborum, aut vini aut ſpirituoſorum potuum ſe levari poſſe, quibus tamen imminens malum potius augent. Ejusmodi eſuriam quandoque crapula a vino inducit, ut ultra ſatieta-tem comedant, non ex ventriculi affectu, ſed quia

vinum toti generi nervoso impatientem illam irritabilitatem auxit, quam cibus se superare posse falso credunt.

XVII.

Hujus esurie nota species est quam *Bulimum* græci, id est famem bovinam, germani *den Heiß-Hunger* vocant. Scilicet insultus subitaneus tantæ anxietatis circa scrobiculum cordis & paulo inferius in epigastica regione, ut plurimum cum sensu ardoris, ut nisi protinus cibi aut potus adsumtu recreari possint, vel leipothymici vel convulsi evadant, aut catocheprehendantur, insensilesque & immoti per aliquot minuta, imo & diutius, instar statuarum rigidi maneant. Est igitur *Bulimus* epilepsiæ levioris species, cujus causa non semper in ipso ventriculo, sed nonnunquam in spinali medulla hæret, aut in nervi intercostalis systemate. Nam etsi vermium in ventriculo præsentiam, aut atræ bilis acrioris motum & similes causas, quibus pathologi hunc insultum adscribunt, non plane negare velim, certum tamen est bulimo tentari sæpe qui ab his ventris vitiis sunt liberi, imo per solum haustum analeptici paucioris cibi vix probabile est paroxysmum tam cito superari posse, si talis materia in ventre contenta
ejus

ejus esset causa, ut potius credibile sit, subitaneum nervorum spasmus aliunde quoque exitari.

XVIII.

IV. Ultimus gradus appetitionis est *sensus inediae*. Atrox fatum, si quis homo reliqua sanus omni nutrimento constanter & usquequaque privatus mortem famelicus obit. Cujus crudelia exempla in obsidionibus desperatis urbium, aut in navium super immenso mari erroribus & alibi passim descripta leguntur. In hac enim fame non una corporis pars, sed omnes simul, & quidem cum vacuitate plerorumque vasorum, & cum humorum corruptione putredinosa, solidarumque partium intensa primum irritabilitate, tum subsequente stupore, viriumque omnium lapsu, postquam priores famis gradus percursi sunt, patiuntur. Tandem si ultra modum inedia protrahitur homo delirus, rabidus, atrox, convulsus, nihil obscenitatis quo ventrem satiari queat, repudiat, amico ut praeda inhiat, nec propriis carnibus dilacerandis parcit, modo bolum pro gula præbeant, donec pestilenti febre contagiosa correptus animam efflet. Ex descriptione autem data facile patet hanc improbam inediae famem non in

ore nec in ventriculo solo, sed in tota compage corporis suam sedem & causam habere, quare de ea nunc sileo.

XIX.

Talis est horribilis scena ex inedia pereuntium, quæ tamen admodum rara. Nam in morbis acutis chronicisque homines aliquando diu quoque ante mortem a cibo potuque abstinere coguntur, sed quia in his sensationes etiam in universum omnes, ideoque etiam sensatio appetitionis imminuuntur, tam horribiles inediæ effectus fieri non solent.

Quamquam etiam contraria aliquando est observatio, præsertim in illis qui ex tabe vel phthisi moriuntur, quibus improba fames manet ad ultimum fere halitum.

XX.

Puto me probasse, appetitionis ciborum non unam esse speciem, non unum gradum, sed mitissimam ejus sensationem in ore solo; majorem sed gratam tamen in ventriculo; adhuc intensiorem & molestam toto systemate viscerum abdominalium;

um; summum vero gradum in toto corpore & in universo sensilium partium systemate habere sedem.

XXI.

Supereft ut de causis harum diversarum appetitionum cibi quædam addamus. Ubi quidem de finalibus causis, propter quas summus creator ejusmodi appetitiones homini tribuit, dicere non attinet, ut jam supra monui §. 3. quæ finales etiam causæ a physiologis pathologisque scriptoribus ample satis descriptæ sunt. Quare de causa proxima solummodo breviter differemus.

XXII.

Ubi primo monendum est physiologos fere omnes tam veteres quam recentiores famem sedem in ventriculo solo assignasse, quæ tamen pro diversis ejus gradibus & speciebus sine dubio diversarum partium affectio est. Quare causam etiam proximam sufficienter determinare non valuerunt.

XXIII.

GALENUS quidem & eum sequuti famem adscripserunt *suctioni* cuidam vasculorum illorum in
ven-

ventriculo & intestinis, quæ chylum in vasa sanguifera venæ portarum, & abinde ad hepar, tanquam sanguificationis organon, secundum eorum theoriam falsam, ducere debent. In tota hac sententia nihil veri remansit, postquam chyli plane aliud iter ab ASELLIO & PECQUETTO inventum est.

XXIV.

Quum Chymiatorum placita in artem medicam reciperentur, & humorum varia acrimonia & inde pendens varius stimulus observaretur, suctioni galenicæ substituta est rosio & vellicatio nervorum ventriculi ab acri quodam ibi collecto humore. *Bili* acriori ex intestino duodeno in ventriculum regurgitanti, & in hujus vacuitate a cibis non temperatæ eam rem adscriperunt plurimi. Reliquias ciborum a prægresso prandio in plicis ventriculi remanentes, easque sponte aut per bilem accedentem acres factes alii accusaverunt. Ipsam lympham gastricam & succum pancreaticum *Sylviani* causam famis statuerunt, quippe quam lympham naturaliter acidam, hanc autem aciditatem ipso jejunio auctam crederent, eo usque ut liquor alias blandus talem acredinis gradum acquirere queat, quæ mordendis & rodendis nervis sufficeret. Huic causæ aliquod
fer.

fermentum ex liene accessorium dedit HELMON-
TIUS. Singulis hisce de quadam vellicatione per
acres humores opinionibus favet inprimis certissima
illa observatio, quod appetitus languens ab assum-
tis acidis, aromaticis, amaris, acris medicamentis
restitui & excitari solet. Neque tamen cunctis
phænomenis satisfaciunt hæ hypothefes, inprimis
quia supra ostendimus, in solo ventriculo non esse
solam omnis appetitionis sedem, ergo nec in eo
solam causam.

XXV.

Secta medicorum *Mechanica* famem deduxit
ex rigiditate & contractione vasorum ventriculi, &
ex attritu laterum ventriculi vacui ad se invicem.
Musculares scilicet ventriculi fibras in vacuitate ejus
ita contrahi, ut non modo cavitatem arctent, sed
etiam ipsa hac sua contractione molestum sensum
inducant, siquidem musculus diu contractus do-
let. In hac hypothefi autem nihil non est fictum.
Præterea enim quod sensus appetitionis non in so-
lo ventriculo hæreat, hæc hypothefis fingit copio-
sas admodum ventriculi humani musculares fibras,
quæ tamen, excepto dorso ejus, admodum tenues

C

&

& sparsæ sunt; fingit integram ventriculi quietem, quæ probari non potest, siquidem in fame motus peristalticus, testibus borborygmis potius augetur; fingitur attritus laterum ventriculi ad se invicem, quæ eo tempore potius laxa, multo liquore gastrico madida, copioso muco illita, ad validioram attritum inepta fiunt. Imo si vera hæc hypothesis esset, ventriculus famelicus a cibis durioribus ingestis, quippe quibus attritus necessario augeretur, magis adhuc quam antea esurire deberet, quod experientia contrarium est, nam a cibis durioribus fames statim sedari incipit.

XXVI.

Vix refutationem meretur cel. HAMBERGERI hypothesis, tempore scilicet famis ventriculum tangere, aut sensum tactus exercere instar cutis externæ. Ridiculum tere est in ejus physiologia eandem sectionem agere de tactu, de fame, de siti. Quasi vero cutis aliquid tangere posset a quo non reciproce contingitur. Quid est autem quod ventriculus tangere posset si vacuus est? Tum certe quando repletus cibusque saturatus est sensum tactus exerciturus esset si tangere posset. Tum videli-

delicet haberet quod tangere posset, scilicet cibos receptos. Fames igitur ex ea opinione saturationem sequi, non præcedere deberet. Præterea certum est ventriculum ut reliqua viscera sensu tactus plane destitutum esse. Nam si viventis hominis vulneratum & apertum intestinum tam extra quam intra digito contingitur, id vulneratus non sentit. Dolere autem potest ventriculus, id est sensus vitalis modificationem habere. Hæc autem & similia ratiocinia sponte cadunt, si quis sensus vitalis, ab externis quinque sensibus manifestam distinctionem recte concipiat.

XXVII.

Sentire nervorum est, aut earum papillarum & penicillorum aut similibus organorum, in quæ fines nervorum terminantur. Quare etiam sensatio appetitionis his solis adscribi debet. Neque tamen nervi aut aliæ ex his fientes machinulæ sentiunt, nisi quando animus in commercio, ut loqui amamus, cum corpore est, id est, si anima ad suum corpus attendit, nec ad alia objecta suam attentionem dirigit, nec per causam corpoream ab illo commercio deturbatur. Quare appetitus non modo oris & ventriculi sed etiam ipsa esuries & inedia sensus ab-

lentur aut imminuuntur a meditationibus profundis, a curis gravibus, ab affectibus animi intensis, ab animo pacato etiam & per se ipsum hilari, a somno, a narcoticis & somnum inducentibus remediis, a doloribus magnis cujuscunque partis corporis, a febribus plurimis, ab apoplexia & morbis affinis a melancholia & mania, a defectu teneriorum & stimulantium humorum in corpore, ideoque a statu mucoso & leucophlegmatico corporis, etiam aliquando a nimia plenitudine sanguinis; omnium autem maxime a putredine vera & sphacelata partium nostrarum, per quam totum corpus desinit esse vitale.

XXVIII.

Nervus ergo sentit, sed non sentit semper. Oportet igitur certam in eo mutationem fieri debere ut sentiat. Hæc in tam tenero organo magna esse non potest, quare oculis nostris eam metiri vix licet. In lingua tamen MARCELLI MALPIGHII & LAURENTII BELLINI solers inquisitio papillas nerveas detexit, quibus soleis fit sapor. Easdem vero papillulas tum quando appetitus oris viget, homoque cibi cujusdam grati avidus est, turgere, erigi, magis quam alio tempore prominere,

re, linguam tum hispidam & parvis quasi granulis
 rectam spectari, id extra omne dubium est, si quis
 vel ad linguam propriam coram speculo attendere
 velit. Quam ob rem, quum in rebus similibus ad
 similem causam & similes condiciones per analogi-
 am non illegitime concludi queat, nil obstare vide-
 tur, quo minus ejusmodi erectionem papillarum ner-
 vearum in omnibus illis locis fieri statuamus, in
 quibus diversæ famis, esurie & inedia sensationes
 observantur.

XXIX.

In fame igitur & in esurie papillæ nervosæ
 totius interioris ventriculi & intestinorum membra-
 nis præsentis simili modo turgere, erigi, tumescere,
 credibile est. Atque in valido inedia sensu totius
 cutis externæ numerosas papillulas nerveas, & for-
 san alias adhuc in aliis partibus præsentis, nondum
 detectas machinulas, præsertim in illis locis qui
 membranam pituitariam habent, æque turgere, ex-
 tendi, eminere, non est improbabile.

XXX.

An hæc erectio a spiritu quodam nerveo,
 vel an ab alio implente humore, quemadmodum in
 corporibus cavernosis a sanguine fieri solet, produ-
 catur,

catum, quoniam inter medicos disputatur, in eam
licem me ingerere nolo.

XXXI.

Hoc tamen certum videtur, ejusmodi erectio-
nem papillarum causam suam in solo cerebro tan-
quam sensorio communi habere, nec ab erosione
aliqua externa, neque a frictione produci, quibus
potius appetitus imminui potest. Nam instinctus,
propensio, voluntas animi appetitum & augere &
imminuere potest, absque necessitate vera aliarum
causarum. Eaque propter per intervalla appetimus,
& hæc intervalla a sola consuetudine determinantur,
ut certis diei horis esuriamus, aliis horis minus. Con-
suetudo autem a sola anima pender. Bene constitu-
tum cerebrum facit bonum appetitum. Male con-
stitutum cerebrum appetitiones imminuit, depravat,
tollit.

T A N T U M.



Præ-

Præstantissimo Domino Candidato
JOHANNI HENRICO KOHL

salutem & officia

JO. GOTTL. LEIDENFROST

Med. Doct. & Prof. Publ. Ord.

*Mulhemii ad Rurram vicinitas & copiosus in com-
 merciis & aliis variis negotiis cum nostra urbe ne-
 xus, multaque inter cives Mulheimenses versans ami-
 citia nostra facit ut Tibi, quem illi habituri sunt
 medicum, quamdiu in nostra academia versatus es,
 semper bene cupiverimus, ideoque & nunc non mo-
 do Studia medica in nuper ad æternitatem profecti
 & a nobis maxime desiderati Collegæ nostri Beati
CHRISTIANI AREND SCHERERI, & in no-
 stris quoque prælectionibus hausta, sed etiam honores
 doctorales proxime recipiendos gratulamur, & opta-
 mus ut providentia divina Tibi quævis fausta & for-
 tunata destinare velit. Duisburgi ad Rhenum, Ca-
 lendis Novembris MDCCCLXXVII.*



